

62.

Das Basler Conzil schärft den von der Universität für die Reichsversammlungen in Nürnberg oder Frankfurt bestimmten Abgesandten ein, mit allen Mitteln für das Heil und Wohl der Kirche zu wirken.

Basel, 1448 Febr. 22.

5 Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 224b.

Sacrosancta generalis synodus Basiliensis in spiritu sancto legitime congregata, universalem ecclesiam representans, dilectis filiis oratoribus universitatis studii Lipczensis in convencione Nurembergensi aut Francfordensi constitutis salutem et omnipotentis dei benedictionem. Iam maxime opus est virorum litteratorum et legem domini cognoscen-

10 cium preclaris doctrinis sanctam dei ecclesiam adiuvari, ne eius auctoritas et universalium conciliorum ipsam representancium, cum prostrata et conculcata iaceat in decrementum gravissimum fidei catholice et omnis religionis^{a)} cristiane, ex qua re heresibus et scis-

15 matibus et deformitatibus effrenata aperiretur licencia. Cum itaque devociones vestre in dicta convencione prelatorum et principum assint, necessario vobis incumbit, quantum honorem dei, salutem ecclesie et omnium animarum ac fidei integritatem diligitis, ut

20 lucernam sapientie vobis a domino concesse non ponatis sub modio nec talentum abscondatis creditum in terra, sed exaltetis vocem vestram in virtute et salutaribus exhortacionibus oportune et inoportune^{b)} pulsetis, ut que iam tantis temporibus in conciliis Constanciensi et Basiliensi cum tot laboribus universi orbis pro ipsa fide orthodoxa et

25 reformacione ecclesie in capite et in membris ordinata sunt, non in nichilum corruere permittantur. Sed ipsorum atque futurorum conciliorum urgeat auctoritas et sacrorum canonum reverencia exaltetur nec ulterioribus dilacionibus res ecclesie in dispendiosas fluctuaciones adici permittantur, sed pro veritate et iusticia aperta declaracio fiat, sicut

30 necessitas magna est ex premissis et aliis pacem ecclesie concernentibus, quam pacem totis viribus procuravimus et procurare intendimus vestris devocionibus. Nostri parte lacius loquentur dilectissimus ecclesie filius Ludevicus sancte Cecilie presbiter cardinalis, Arelatensis nuncupatus, noster et apostolice sedis vicecancellarius, legatus noster de latere, ac alii ambasatores et nuncii nostri secum existentes, quibus in dicendis fidem credituram adhibere velint devociones vestre. Quicquid autem venerabili cetui vestre

universitatis et personis vestris gratum efficere poterimus, ad id paratos nos reddemus favente altissimo, qui vestras devociones feliciter conservet. Datum Basilee VIII. kal. marcii anno a nativitate domini M CCCC XLVI.

61. a) religione Cod. b) inportune Cod.